



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hebdomas Patientiæ Sive Methodus Facilis Totam Septimanam Inter Omnes Fortunæ, Ac Vitæ, Coeterosque Casus Humanos In Sancta Quiete, Pace, Et Patientia Transigendi Ex Consideratione, Imitatione Et ...

Dietmer, Georg

Moguntiaë, 1674

Caput I. Magnitudo dolorum B. V. consideratur ex quadam comparatione
ingentium dolorum quos aliqui Sancti perceperunt ex consideratione
passionis Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46586](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46586)

DIES LUNÆ.

Surge accipe puerum, & Matrem ejus & fuge in Ægyptum. *Matth. I.*

CAPUT I.

Magnitudo dolorum B. V. consideratur ex quadam comparatione ingentium dolorum quos aliqui Sancti perceperunt ex consideratione passionis Christi.

VT Mariani pectoris dolores, ac extremas angustias penitus paulatim inspicias Parthenophile, regulam tibi S. Bernardi hoc capite usurpandam propono, quam tradit in epistola quadam ad Canonicos Lugdunenses, affirmans id quod paucis sanctis concessum fuit, non esse credendum, quod B. Virgini fuerit denegatum. Imo vero omnino tenendum benedictam virginem omnibus gratiis, prærogativis, & privilegiis dotatam, & longe excellentiore modo cumulatum fuisse, quam iis sancti reliqui fuerint exornati: id enim debebat

dur

tur titulo Matris Dei, ut quotquot doctes & gratiæ in reliquos sanctos velut flumina minora essent dispersæ, in Maria tanquam omnium gratiarum oceano plenissime reciperentur. Inde & ab Angelo dicitur *gratia plena*. Et SS. PP. applicant illud Virgini *Eccl. 3. v. 29. Multæ filiæ congregaverunt sibi divitias, tu supergressa es universas*. Et illud *Judith. 15. Tu gloria Jerusalem, Tu lætitia Israël, Tu honorificentia populi nostri*. Et omnino præclare *S. Bonavent. in 1. dist. 44. Tanta fuit Deiparæ dignitas, ut si omnes creaturæ quantumcunque possunt, ascenderent in gradibus nobilitatis, essent præsentés omnes, deberent reverentiam Matri Dei*. Eandem prærogativam in Domina nostra agnovit *D. Gregorius Theologus* cum ipsam hac, quæ est melle dulcior, oratione alloquitur:

Salve puella gratiæ

*Æquanda nullis, Mater, & virgo supra
Omnes decora virgines, & maxima,
Qua vincis omnes ordines, celestium
Regina, Domina generis humani &c.*

Lusit & alius virgineo metro post Nazianzenum Bahusius lib. 1. epig. contestans, gratias cæteris sanctis collatas huic
Bene-

Benedictæ inter omnes, non fuisse denegatas :

*Et locus in terris liquor in quem puppifer omnis
Confluit, & laticum quidquid ubique natat.
Est in quam virtus, & gratia confluit omnis,
Et dia dotes; Hæc MARIA, hæc maria.*

Ex quibus, aliisque compluribus testimoniis tandem concludo : Virginis dolores in passione, præsertim dilectissimi filii ejus acerbissimos fuisse, cum eam acerbiter, acutissimumque passionis suæ sensum compluribus sanctis amantissimus noster Salvator ex speciali affectu amoris tantum indiderit, ut cruciatus ex eo tantos perciperent, quantos humana mens assequi vix aut ne vix quidem posset; qui proin, non modo duplicatus, sed infinitis prope incrementis major virgineum cor Mariæ discidit. S. Clara de Monte Falco *crucif. hebdom. Nadasi.* Cum quodam die meditando Christi passioni, ejusque sacris doloribus toto cordis affectu adhæreret, Christum pulcherrimi juvenis specie crucem humeris bajulantem præsentem vidit; audivitque verba ista sibi loquen-

quentem: *filia mea Clara, quæ sivi locum solidum in quo crucem meam plantarem, & inveni cor tuum. Ibi eam figere volo; oportet ergo ut moriaris in hac cruce, si filia mea & hæres vis esse.* Ex quo devotissima virgo tam alte Crucifixi memoriam imbibit, ut nunquam de illo sine lacrymis loqueretur; & annis aliquot, quidquid cibi aut potionis acciperet, amarum illi videretur ex crucifixi sui memoria. Denique quidquid ullo interno externeve sensu perciperet, amarissimo fellis sponsi sui in cruce pendentis rore respersum sapiebat. Si vero tantum potuit in corde Claræ aspectus pulcherrimi Jesuli crucem ferentis; quid arbitraris Parthenophile morientis dilectissimi filii in corde Matris effecisse, quis unquam absinthium, & fel, quo hæc Domina tua identidem tota deinceps vita potata fuit, edisserat? Devotissima virgo Columba Ordinis S. Dominici, inter alia sponsi cœlestis sui ornamenta, hanc quoque gratiam obtinuit, ut cum ferventius aliquando ante Christi crucifixi imaginem precaretur, Christus quinos

ex manibus, pedibus, ac latere radios
ejacularetur, qui ingentem in virginis
animo flammam amoris excitarunt; ad-
eo ut quoties lectissimi sui sponsi pati-
bulo affixi imaginem conspiceretur,
toties illi propemodum viscera amoris
vehementiâ rumperentur. Ex quo igne
amoris major cupiditas enata fuit, ni-
mirum ipsos SS. Vulnerum cruciatus
tolerandi, quos Christus in cruce pro
se, totoque mundo sustinuit; cumque
id frequentius, contentiusque expete-
ret, immensos manuum, pedum, ac late-
ris sentire cœpit dolores, qui volen-
tem, sibique de tanto beneficio congra-
tulantem usque adeo premebant, ut nec
pedibus insistere posset; nec muneri
suo obeundo jam par esset; inde ad
sponsum conversa, nonnihil extremos
cruciatus remitti sibi rogavit, eamque
mitigationem obtinuit, qua exequen-
do muneri, esset sufficiens, qui tamen
dolores vehementiores singulis feriis
sextis recrudescebant. *Gavaston. Lopez.*
Eodem dolorum & cruciatuum pon-
dere dotata fuit ex eodem S. Ordine
Ursu-

Urfula Agviria virgo prorsus admiranda sanctitatis, hæc cum anno 1592. post sacram synaxin se orationi dedisset, vidit B. Catharinam senensem Crucifixum præferentem, à cuius manu tres in ipsam evibrabantur clavi. Illa quæ ageretur res, non ignara, id solum amantissimum sponsum suum rogavit, ne stigmata in suo corpore conspicerentur, sed interni tantummodo dolores quantumvis intensissimi; quod & obtinuit. Ex quo tempore incredibiles cruciatus experta est, tantumque aliquando cordis dolorem perpeffa, ut id ferro transverberatum sibi videretur. *Gevaston.*

Vidit quoque Hispali anno 1504. morientem Blancham Gusmanicam nobilissimam virginem, quæ continuo patientis Christi doloribus meditando occupata, unde tantum cum amantissimo sponso suo patiendi desiderium eam incessit, ut eundem tenerrimis precibus rogaret, quo sibi concederet vel unius vulneris dolores experiri, nec irrita fuit oratio, tam ingentem, namque in altero pede cruciatum passa est,

est,

est, ut doloris acerbitatem diffimulare jam non posset, apparuitque ingens, hi-ansque vulnus, quod etiam ea mortua pluribus horis cruorem effudit. *Joës Lopez 3. p. l. 2. c. 23.* Non tibi hæc refero Parthenophile, quod velim tibi eam mentem injicere, & existimes corporali-ter Dominam nostram sacra Christi stig-mata expertam, quamvis enim hoc singulare Christi donum pluribus sanctis abvenerit, nullam tamen auctoritatem habeo, idem de Virgine nostra dicendi; hoc solum contendo, cum participem fieri dolorum Salvatoris nostri, benefi-cium præ reliquis sit præstantissimum, Matrem Domini excellentiori longe modo illius factã fuisse participem; om-ninoq; credibile est, mœstissimam Virgi-nem omnibus membris tantos persen-sisse dolores, ut mortua concideret sub cruce, nisi specialiter à DEO inter eas angustias conservata fuisset. Hinc S. An-selmus *in dialogo de passione* revelatũ ait: quod cum Joseph ab Arimathæa pete-ret corpus Christi à Pilato, inter alias causas etiam hanc attulisse, *quia Mater*
ejus

*ejus præ dolore moriebatur. Ac si diceret : Mater innocentissima est, non est consentaneum, ut cum innocenti filio, moriatur simul, & innocens Mater. Sed ulterius in proposito pergamus. Coleta Virgo ex ordine S. Claræ cum aliquando solum sibi narrantem Christum suos cruciatus audiisset, eaque tormenta quæ singulis membris exantlasset, usque adeo Domini cruciatibus ruminandis intenta fuit, ut sæpe viderentur clavis manus & pedes, & latus lancea configi, avebatque omnes martyrum cruciatus in corpore suo una perferre. *Wadingus tom. 5. annal. 1406.* Sed forte mirabilius tibi videbitur, quod idem author *tom. 2. anno 1297.* refert de Margarita Cortonensi, quæ cum Christum rogasset ut liceret sibi passionis suæ dolores sentire, hæc verba sibi dici audivit : *Vade ad crucem, & scrutare ibi plagas meas, & perquirere dolores, ibi experiri licebit, quam fuerint vehementes.* Collegit ex hoc dicto meditanda sibi identitem passionis sacræ mysteria Margaritha, tantoque in iis contemplandis affectu ferebatur, ut ipsa quo-*

quo-

quibq; singulos cruciatus Christi perpeti sibi videretur, & præ doloris magnitudine oculorum nervi ipsi quasi evellentur, & totum undique corpus intolerabili afficeretur cruciatu. Advertis Parthenophile dolorum horum a Christo communicatorum vehementiam; sed quanto majores fuerint Dominæ nostræ disce ex sequentibus. Petiit enim subinde Margaritha communicari sibi quoque dolores dolorosæ nostræ Matris, quos in cunctis opprobriis, flagellis, vulneribus, morte, & singulis passionis dominicæ circumstantiis perpessa fuerat. Nec in hoc omnino spe sua frustrata fuit; jubente enim ita Domino, summo mane venit ad templum, finita missa circa tertiam devotissima Deo anima, in crucifixum sponsum suum totâ animâ absorpta, cœpit primo secreta illa Iudæorum consilia de capiendo Christo; Judam cum illis paciscentem, mox Christum osculo tradentem intueri; quæ singula tam intenso doloris æstu contemplabatur, ut circumstantes judicarent eam in extremum mortis articulum

culum

culum esse prolapsam. Hora deinde nona, qua Christum vidit caput inclinantem, & SS. spiritum emittentem ita caput ejus subito & mortali quodam motu ad pectus decidit, omnibusque exterioribus sensibus destituebatur, ut vere defunctam circumstans populus arbitraretur; & hoc quidem corporis situ permansit usque ad vesperam, concurrentibus cum gemitu & lacrimis omnibus Contonensibus, quos turmatim advenientes jam Ecclesia capere non poterat. Wadinus tom. 2. a. 1297.

S. Maria de Oegnies adeo Christi dolorum meditatione & commiseratione liquefiebat, ut tantum lacrymarum vim & flumen perfunderet, ut quaqua incederet humum copiose irrigaret, neque de Christi suppliciis loqui, vel loquentes audire, vel effigiem patientis Salvatoris conspiceret poterat, quin vel à sensibus abriperetur, vel animo deficeret, ut scribit in ejus vita Cardinalis de Vitriaco. Sed ne quis perpeam existimet hoc speciale gratiæ genus soli devoto foemineo sexui concessum, libet etiam

etiam

Etiam paucos tibi referre staurophilos, qui simili doloris & commiserationis affectu in hac vita præditi fuerunt. Memini imprimis me legere tyrannum quendam, cum Christianum aliquem tyrannicis vinculis constrictum teneret, illeque perpetuo, mæsto, singultu, & lacrimis gravis incederet, ex eodem percontatum fuisse: ecquid causæ tantæ mæstitiæ, dolorisque subesset? cui cum dolorosus Christi athleta reposuisset, acerbissimam Salvatoris sui passionem à se identidem volvi, revolvique animo, ejusque sacra stigmata altius cordi sibi inscripta hære; homo barbarus adeo ira excanduit, ut illius viscera rimari ferro, pectusq; aperiri juberet; cum ecce tibi in exciso corde quasi spirans crucifixi imago elaborata divinitus conspicitur, illustri in patientem Jesum commiserationis monumento. *Cantipr. lib. 1. cap. 25. n. 8.* Est & illud condolentis & compatientis Salvatori suo palmare exemplum quod civis Dionanthæus anno circiter 1216. cælo, mundoque spectandum exhibuit. Peregrinus loca
trans-

transmarina uti ipsa singulari passionis,
Christique vitæ gratiâ insignata sunt,
sic ipse non mediocri religione ac pie-
tate eadem obiverat; tandem in ipsum
Calvariæ jugum non sine intimo com-
passionis sensu evaserat, cum cruentis
suppliciis animovolvendis totus in-
tentus, & amore, dolore, & stupore
pariter absorptus, æstum mentis, &
compassionis jam ferre impotens, cum
salvatore suo mori expetens, disrupto
corde expiravit. *Idem ibid. n. 5.* S. Fran-
ciscus seraphicus teste Bernard. Bert. ser.
1. de compass. B. V. ob abundantiam la-
rimarum ex doloribus passionis Do-
mini emissarum debilitatem oculorum
incurrit. B. Frater Jacoponus de Tuder-
to ejusdem ordinis, audiens legi Evan-
gelium passionis Christi, non solum la-
crimas emittebat; sed etiam à suspiriis,
& magnis clamoribus non poterat ab-
stinere, unde propter hoc exiens de Ec-
clesia currebat ad cellam, ut ibi amarif-
sime defleret passionem Christi. *Idem
ibidem.* Possem complures ex minima
nostra societate quoque afferre, quibus

C

hoc

hoc singulare beneficium à DEO obtigit; nisi libelli brevitatis me aliò avocaret. Ut igitur eos taceam, quorum virtus BB. catalogo inserta toti orbi innotuit, sufficiat unum felici memorie Petrum Fabrum attulisse, unum ex primis S. Fundatoris sociis, de quo Orlandinus *lib. 2. vitæ, cap. 7.* in hunc sensum scribit: Petrus Faber ex prima Societatis Jesu decuria unus, ac S. Patri Ignatio dilectus discipulus, dum horas canonicas inchoaret, in acerbissimos Christi cruciatibus, atque indignam necem suæ mentis figebat aspectum, & ut psallendo progrediebatur, ita in reputandis acrioribus ejus pœnis, atque doloribus procedebat; ut cum pervenisset ad Nonam, sentire quodammodo & ipse posset dira illa tormenta, & supremos angores, quibus eadem Christus horam paternos in amplexus extremum spiritum edidit. Quid tibi nunc videtur Parthenophile? si devotæ hæ animæ, ex sola auditione, nuda meditatione, piavè lectione, tantum doloris sensum perceperunt, ut in lacrimas solverentur, omnibus membris affige-

fligerentur, & doloris sensu, ac compas-
sionis affectu abriperentur, ut mentis
viribus solutæ, aut mortuæ, aut morti
proximæ crederentur. Quid inquam ti-
bi videtur de ea benedicta anima, quæ
& tenerrime amabat, & coram acerbis-
sima tormenta percipiebat, flagrorum
ictus maternis oculis hauriebat, spina-
rum aculeos, purpurei vestimenti ludi-
brium, irrisiones & opprobria specta-
bat, indignissimam iudicis condemnan-
tis sententiam, clamorem rabidorum
Judæorum clamantium tolle, tolle, cru-
cifige, crucifige, non hunc, sed Barrab-
bam tumentibus præ dolore ambabus
auribus exaudiebat. Quid illa sense-
rit? quæ trabale lignum filio amantis-
simo imponi, latronis in modum educi,
inter duos crucifigi, vestibus virgineum
corpus nudari, heu quo vultu, quibus-
ve luminibus conspexit? Quo æstu
sanctissimum ac maternum pectus æstu,
averit, quod filii dilectissimi manus,
pedesque clavis terebrari, lancea ape-
riri latus, cor dividi persensit? Eheu do-
lorosissima Mater mea, verè non est do-

lor, sicut dolor tuus, vere absynthio
& felle potata es, vere amaritudine re-
plevit te Dominus omnipotens! Et
tamen tantorum dolorum oceano jacta-
ta nullum impatientis animi signum
euebas; Et miser ego, me filium
tuum profiteor? heu quam degener fi-
lius, qui tantæ Matris exemplo vix
puncturam doloriferam æquo perferre
animo, contendo. Ecce Mater dolo-
rum, ecce propudiosum filium, maternis
tuis pedibus gementem, tibi que, ac tuo
comprimis JESU condolentem advo-
lutum; Rogo te Mater plena dolori-
bus per ea verba, quibus moriens filius
peccatoribus ignovit, pro iisque Pa-
trem oravit, veniam impetra mihi ab
eodem, de omni commissa impatientia
& iracundia. Per ea verba, quibus ti-
bi Joannem, meque miserum, ac indi-
gnissimum peccatorem moriens filius
commendavit dicens: Ecce filius tuus,
te humillime rogo ac obtestor, inscribe
cordi meo tuos, filii que tui acerbissi-
mos cruciatus, ut amore vestri vivam
inter adversa patiens, & constans inter
dolo-

dolores. *Eia Mater illud agas, Crucifixi si-
ge plagas, cordi meo valide.* Plura loquen-
tem Parthenophile, tua me vetat præ-
sentia, cum Jacopono cellam subire li-
bet, quo affectui ulteriorique medita-
tioni indulgere securius liceat.

CAPUT II.

*In honorem dolorosæ virginis patienter ferenda
paupertas, & amissio bonorum.*

Quanta acerbitas in paupertate,
& amissione, & temporalium bonorum
penuria reperiatur, eorum præsertim
respectu, qui vel honestiore loco nati,
infelici quodam infortunio, tristique
fato ad eas incidas redacti; vel certe
ingenio, indoleque nobiles iis tamen
mediis, quibus animum liberalibus, ac
honestioribus disciplinis excolant, sunt
destituti; profecto nisi ipse aliquando
mi Parthenophile inopia laboraveris,
non facile poteris in animum inducere.
Rem tamen ea non inepto expressit em-
blemate doctissimus Alciatus 121. depin-